

Paul Tarnow

**Rector Academiae Rostochiensis, Paulus Tarnovius, D. & Professor S.S.
theologiae, ad exsequias Adolescentis honesti, Johannis Friderici
Schonermarchii, Quas Parentes moestissimi filio carissimo paratas volunt,
Omnes academiae cives amanter hodie ... invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1630

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423391>

Druck Freier  Zugang



Tarnow, P.,
in
J. F. Schoneveldt.

Rost. 1630.

46

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
PAULUS TARNOVIUS,
D. & Professor S.S. theologiae,
ad exsequias
Adolescentis honesti,
IOHANNIS FRIDERICI
SCHÖNERMARCHII,

Quas
Parentes mœstissimi filio carissimo
paratas volunt,

Omnes academiae cives amanter bodic ad h. I.
invitat.



ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXX.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
PAULUS TARNOVIUS,
D. & Professor S.S. theol.

NA Turæ communi-
nis lex & ordo est,
quem Qu. Horatius
Flaccus venustè ex-
pressit, lib. 4. carmi-
num, oda 4. hisce versibus:

*Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroes
Progernerant aquila columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectiq; cultus pectora rohorant.*

Gratiæ mysterium & donum evan-
gelista & apostolus Johannes in prima
episto-

epistola sua cap. 5. describit: *Omne quod
natum est ex Deo, vincit mundum: Et hæc est
victoria, qua vincit mundum, fides nostra.*
Etsi verò cursus ille naturæ, pro be-
neplacito D E I, vel liberrimam
suam voluntatem & potestatem in
omnibus ostendentis, vel piorum fi-
dem & patientiam probantis, vel im-
piorum malitiam & peccata punien-
tis, sæpe mutatur & variatur: quod
exempla posteritatis Adami, Noachi,
Abrahami, Isaaci & Jacobi, satis decla-
rant & probant: tamen gratiæ promis-
sionem & efficaciam esse multò con-
stantiorem, si modò, qui ejus, per ba-
ptismum, regenerationis & renovatio-
nis lavacrum, aut per verbum, poten-
tiam Dei ad salutem omni credenti,
participes facti sunt, non in vanum ac-
ceperunt, sed in fide fundati & stabiles
permanent, & sacra scriptura testatur;

A 2

& ex-

& experientia verè piorum comprobat. Exemplum utriusq; generis bonorum eluxit in adolescente JOHANNE FRIDERICO SCHO NERMARCHIO, cui nunc justa & funebres exsequiæ parantur. is natus fuit anno cI5 I5C XIV. die XXIX. Octobris, patre, Viro CL. & Consultissimo, Dn. JOACHIMO SCHO NERMARCHIO, J. U. D. & professore in hac academia celeberrimo, matre, fœmina virtutum matrimonialium omni genere conspicua, AGATHA CHRISTINA WEISBACHIN: avus ei paternus contigit, vir antiqua virtute fideq; insignis, & multis bonis notissimus, IOACHIMUS SCHO NERMARCH, thesaurarius hujus ducatus spectatissimus, eoq; nomine Illustriss. & Celsissimo quondam Megapolensium Duci & Domino, Dn. u DALRICO, beatæ recordationis principi laudatissimo, percharus: avia ANNA Kaf-

KASSEBOMIA, matrona honestissima: a-
vus maternus, vir amplissimus, Dn.
STEPHANUS W EISBACHIUS, Jurisconsul-
tus celeberrimus, consiliarius Henne-
bergicus; avia **J**USTINA, viri magnifici
& Consultissimi, Dn. **I**OANNIS SCHNEI-
DEWINI, J. C. & antecessoris ordinarij
in academia Jenensi longe clarissimi
& doctissimi, cancellarij deniq; Vina-
riensis Amplissimi, filia: cuius do-
ctrinæ, virtuti, & meritis plus debetur,
quā à me in hac exigua charta persolvi
potest. his præclaris parentibus & ma-
joribus ortus defunctus adolescens, in
ea, qua fuit ætate, non indignum se o-
stendit, probitatis, industriae, honesta-
tis, aliarumq; virtutum speciminibus,
ex quibus de indole judicium fieri so-
let: solo literarum & studiorum libe-
ralium amore ijsdem dissimilis: culpá-
ne genij, an alia caussa, nobis incertum:

A 3

nec

nec conveniens, ut de eo scrupulosius
nunc post obitum inquiratur: com-
modius futurum arbitramur, si quan-
tum ei gratia divina cùm alias, tum
præcipue in actu vita postremo, con-
tulit beneficium, referamus. quod
enim annos nondum sedecim natus,
mundum, & quæ in eo majora, quam
re ipsa obtingant, animo concipi &
sperari consueverunt, lubenti animo
relinquere, cælum desiderare, omni-
bus, à quibus Iæsus erat, condonare in-
jurias potuit, & condonavit, terreno-
rum curā abjecit, ad cœlestia tantum,
accepta è manu reverendi & nobilis
viri, Dn. CONSTANTINI FIDLERI, Pa-
storis Mariani, confessionarij sui, eu-
charistia aspiravit, & verâ in Christum
fide placidè 7. Maij, circa horam quin-
tam vespertinam exspiravit, illud so-
lius Spiritus Sancti in eo opus fuit. cu-
jus

jus unius recordatio omnes acerbitates parentibus, fratri, & sororibus carissimis leniet, & cum tempore ex animo delebit. Quod nostri est officij, ut dolentibus condoleamus, & nostram condolentiam ipso opere declaremus, ejus rei commonefacere omnes jurisdictioni academicæ subjectos, cum vellint defuncti adolescentis parentes mœstissimi, voluntati eorum lubens morem gero, & omnes scholæ nostræ regiæ cives, reverendos, Clarissimos, & doctissimos Dominos professores, aliosque Doctores, verbi divini ministros, bonarum artium magistros, universamq; studiosam juventutem, quanto possum opere maximo, rogatam & invitatam volo, ut in gratiam viri CL. & Consultissimi, Dn. D. IOACHIMI SCHONERMARCHIJ, amici & collegæ nostri plurimum honorandi, ejusq; conjugis

jugis carissimæ, & in honorem majorum præclarissimorum & præstantiss. defunctorum, hodie hora I. in templo Jacobæo frequentes conveniant, ceremonias funebres sua præsentia conspectiores reddant, pro salute & tranquillitate publica ad Deum, pacis auctorem unicum, vota ardentissima faciant. erit hoc officium Iehovæ gratissimum, nobis dignum, mærentibus pro ratione hujus temporis acceptum.
P. P. sub sigillo academiæ, X. Maij,
cIc. cIC. XXX.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777423391/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423391/phys_0016)

DFG

jus unius recordatio omni-
tes parentibus, fratri, & so-
rissimis leniet, & cum tem-
po delebit. Quod nostri e-
dolentibus condoleamus,
condolentiam ipso opere d-
ejus rei commonefacere o-
ditioni academicæ subiect-
iunt defuncti adolescenti
mœstissimi, voluntati eorū
morem gero, & omnes sch-
regiæ cives, reverendos, &
& doctissimos Dominos p-
aliosque Doctores, verbi d-
stros, bonarum artium mag-
versamq; studiosam juveni-
to possum opere maximo,
invitatam volo, ut in gratia
& Consultissimi, Dn. D. I.
SCHONERMARCHIJ, amici &
stri plurimū honorandi,



the scale towards document

932

Serial No.

TE263

Scan Reference Chart

Image Engineering